



# Disputatio medica inauguralis de dysenteria

<https://hdl.handle.net/1874/345153>

23.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
**DYSENTERIA,**

*quam*  
PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
**JACOBI VALLAN,**

M. D. Praxeos & Institut. Med. Professoris Ordinarii,  
NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicus Consensu, Nobilissimaque*  
*Facultatis MEDICÆ Decreto,*  
PROGRADU DOCTORATUS,  
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,  
*Publica disquisitioni subjicit*  
GERHARD PHILIPP BRUNNER, Hallensis Saxe.

*Ad diem 9. Julii, horâ locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

---

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clc Icc xci.

DISPUTATIO MEDICA  
UNIVERSITATIS  
DE

# DYSENTERIA

PRÆSIDIUM DEDICATUM MAX

# JACOBIVALLA

M.D. Proxos & Iuliani Met. Pologonis Odianni

NEC NON

Academicii summi Medicorum Gallicorum, Medicorum

Neckerianarum Medicorum & Doctorum

PRO GRADU DOCTORATUS.

Sumptibus in MEDICINA Honoriis & Privilegiis

Hic ac flosculis conscriptione

CHARVARD PHILIPP BRUNNER, Hildensis sive

Academiæ, quæ per pectora genitrix



TRAVELLED BY RHEINMUR

Ex Officina FRANCISCI HALMI, Accesum  
Typographi, qd doc mcr



## PARROOE IMI SUI M.



Vanta sit humorum nostri corporis, in aequabi*s* maximè, atque natura legibus exactè respondentem motu, confluitorum; nec quantitate insuper, nec qualitate peccantium, utilitas aquè ac necessitas, nostris certè est, quam ut longa indigeat probatio*n*e. Quid è contrario valeat motus eorum auctus atque effrenus reddius, conjuncta præsertim si sit ingens humorum copia & modo praternaturali eorum alterata qualitas, quotidiana edocemur experientia. Ex his ultimò loco enumerata humorum constitutio, tanquam mulierum prolium fœcundissima mater ulteriorem prae reliquis meretur contemplationem, qui triplici ratione institui posset, si secundum omnes illos, quibus a statu naturali recedere solent humores, nimis modo ferocitate, modo visciditate, modo acrimoniâ peccantes, modos progradi, institui ratio permetteret. Sed brevità studens paucis tantum attingam acredinem, cuius producta acerbissimis saepè comitarii doloribus, ita ut agrotantes non raro, prae nimis dolore vita perirent, hanc privari gestiant. Ita contigit mihi aliquando videre Colicà laborantem, qui nunc clamore ingenti & elonginquo audiri aptò, nunc ejulatu & variâ lambicrorum instar contorsione (horrendum sane aspectu & commiseratione dignum) doloris indicabat vehementiam. Innumerari fere ejusmodi graves affectus cādēm pro causâ agnoscunt humora acrimoniā, quos omnes hic recensere nimis prolixum foret. Hoc inter si non primò, saltim non ultimò enumerari meretur loco, sepe in homines seviens, multisque letalis ille morbus, qui Practicis audit Dysenteria, quam pro Thematè, Disputationis Inauguralis loco, elaborando eligere placuit. Verum cum nec rei novitas, nec materia jucunditas, quibus destiuitur, ad hujus commendationem aliquid facere possit, Lectoris Benevolentia unice fretus rem aggredior.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
DYSENTERIA.

§. I.



Ovitatem sectari ne videar, si omnibus quæ de nomine hujus Affectus dici poterant, planè omissis ad tractationem realem me statim accingerem, lubet juxta receptam hactenus methodum pauca de Onomatologia dicere.

§. II. *Dysenteria* vocabulum Græcis suam debere originem vix cuiquam hodie ignotum esse potest. Componitur verò è particula illa inseparabili δύσ-, quæ in compositione nil nisi difficultatem indicat, uti ex aliis in Medecinâ sat usitatis luculenter apparet e. g. Δυσοροῖα notat difficultatem pariendi, Δυρεῖα difficultatem urinam emitendi, ἔρτεποι intestinum, & πέω fluo, unde latine sic efferri debet: *Difficilis intestinalis fluxus*, quasi dicas: fluxus intestinalis cum magnis cruciatibus conjunctus. Adeoque facile patet ratio hujus compositionis, nempe respicitur partim Symptoma quod semper adesse solet in hoc morbô, termina nimirum summè atrocia; partim pars affecta, intestinalia scilicet; partim verò affectus hujus formalitas, quæ consistit in fluxu uti mox dicetur fusius.

§. III. Accedo nunc ad *Homonymiam*, ubi triplex notanda Dysenteriæ significatio: Namque (1.) sumitur Generaliter pro omni fluxu alvi etiam minimè cruentô. (2.) Specialiter significat omnem fluxum sanguinolentum à quacunque causâ oriundum. (3.) Specialissimè notat fluxum alvi cruentum cum intestinalium exulceratione, de quô mox sermo erit.

§. IV. *Synonymiam* quoque ut paucis absolvam, sciendum Græcis dici hunc morbum Δυσεντεία; Latinis, intestinalis difficultatem sive exulcerationem, Diarrhœam cruentam &c. Germanis die *Diether*; Gallis, la *Dysenterie*, le flux de ventre avec sang.

§. V. Sed

## I N A U G U R A L I S. §

§. V. Sed missis his ad *Definitionem realem* potius ut me accingam  
necessè erit; potest verò hæc fieri hunc in modum: *Dysenteria est fluxus alvi frequens, sanguinolentus, & purulentus cum acroscissimis ventris terminibus, tenuis &c. à continuâ irritatione intestinorum, apertione vasorum sanguiferorum atque illorum exulceratione procedens.*

§. VI. Generis locum occupat *Fluxus*, ubi supervacaneum censeo  
verbis prolixis iisque inutilibus demonstrare velle fluxum intelligendum  
esse præternaturalē, siquidem vel Tyro Medicinæ facilè percipit nullum alium hic habere locum, si modò perpendat cum summa virium,  
imò vitæ sèpius contingere jacturā.

§. VII. *Rationem* verò formalem hujus morbi reverà consistere in *fluxu*  
probat non minus *frequentia dejectionum*, dum maximè crebra &  
tantum non continuâ excernendi libidine coacti extra lectum & sellæ  
negotio huic inservienti cum summâ molestiâ affixi quasi tenentur  
ægrotantes, ipsisque pene invitis illa summè acris effluit materia; quām  
*Excretorum & quantitas*, quæ tanta est interdum ut jurare auderes vel  
centies hac superari assumptorum paucitatem, humorumve intra diem  
noctemque rejectorum copiam vix satis mirari posses; & *qualitas*, excre-  
ni enim quæ solent hōc in morbō, non habent eandem cum excre-  
mentis in statu naturali consistentiam; sed sunt admodum fluida varii  
equidem coloris pro diversitate subjectorum, semper tamen sanguis est  
admixtus tandemque prodeunt, purulenta.

§. VIII. Sed quia per alia quoque corporis loca, excretionibus natu-  
ralibus aliás destinata, non rarò contingit fluxus præternaturalis e.g. per  
narae hæmorrhagia, nimius mensum fluxus per uterus, ideo ad diffe-  
rentiam generaliorem dicitur in definitione quod *Dysenteria* sit fluxus  
alvi, quō ipso innuitur fluxum hunc per nullum alium fieri locum,  
nisi per anum. De differentiâ specialiori, quomodo scilicet ab affecti-  
bus consimilibus differat agetur infra, si alia quædam priùs perlustrata  
fuerint.

§. IX. Ante omnia dicendum nunc judico de *locô affectō seu subjecto*,  
principali nimirum atque *primariō*, quippe quod nosse multum refert  
Medico. Hoc verò esse *intestina* præ cæteris credere jubet solertia eo-  
rum, qui in subjectis variis morborum generibus extintis secundis nul-  
lum reformidarunt sive labore sive fœtorem. Hi quotquot secuere  
*Dysentericorum* cadavera, in omnibus intestina invenerunt exulcerata.  
Sicuti videre est in *Theophil. Bonet. Sepulchr. lib. 3. Sect. 11. pag. 853.* &  
apud alios quoque Autores.

## 6 DISPUTATIO MEDICA

§. X. *Intestina* juxta divisionem in Medicinā receptam & in hunc usque diem servatam, dicuntur esse vel *tenuia*, vel *crassa*, inquirendum igitur erit quænam afficiantur. Ex Anatomia nemini non Medicorum notum esse puto *tenuia* & *que*, ac *crassa intestina* iisdem gaudere partibus constituentibus, scilicet, præ cæteris hic nominandis, vasis sanguiferis atque tunicis; unde autopsia imprimis haud refragante nihil obstat in propatulo est quod minus dicit queat *utraque subjecti rationem* in hoc morbo subire posse, ita ut *crassa* non magis quam *tenuia* patientur, idque nunc *separatim* ubi haec vel illa solitariè; nunc vero *conjunctim* ubi *utraque* simul laborant. Sic *Dolens in Emyclopaedia suâ Medicâ* pag. 429. recenset, se in sex Dysentericorum cadaveribus invenisse *tenuia* & *que* ac *crassa intestina* purulentis obfessa tuberculis.

§. XI. *Minus principale subjectum* sunt alia partes quæ inconsensum trahuntur, nunc equidem magis, nunc minus, pro morbi scilicet aut malignitate aut benignitate. Nonnunquam enim malum latius serpit & non solum totus intestinorum tractus, sed & ventriculus ipse exulceratur; Vid. *Theophil. Boner. Sepalchr. I. a.* Imò mesenterii quoque glandulas materiâ purulenta resertas invenit *Falcoburgius*, uti legere licet apud *Thom. Bortholm. Centur. 6. Histor. Anat. 2. pag. 201.* Neque partes intestinis magis vicinæ tantum, sed remotiores etiam interdum variò modò deprehenduntur alteratae, cuiusmodi resertur exemplum in *Holler. lib. 1. de morb. intern. cap. 43. Schol. de adolescentis cadavere*, in quô intestinum exulceratum; *Epiploon* vero, medietas thoracis & *Oesophagus* ex parte, corrupta fuisse dicuntur.

§. XII. *Causam* hujus fluxus *immediatam* seu *proximam* si quis desiderat *duplicem* hanc posse dici existimo, ex unâ nimirum parte est *aperatio* seu *erosio vasorum sanguiferorum*; ex altera parte *intestinorum exulceratio*. Haec ita concipi debent: dum humores qui per intestina moventur præternaturalem eamque satis notabilem contraxere acrimoniam, pungendo ac vellicando substantiam intestinorum efficiunt, ut horum fibræ se contrahant, sicque venarum orifica comprimendo impediant quo minus sanguis, qui per arterias continuo appellatur motu, intrare & circulum absolvere queat, unde necessariò stagnare incipit. Cum igitur à tergo semper urgeatur sanguis arteriosus, refluxus vero per venas à fibris crispatis inhibetur, vasa exilissima, propter sanguinem in iis stagnantem, nimis extensa, juvantibus præcipue humoribus acribus in cavò intestinorum contentis & tunicam inteiorem arrocentibus,

*et non a supponibili certo*

certò certius rumpentur. Sanguis qui ex ruptis his vasculis effluit, simul cum aliis humoribus in intestinis contentis atque secessum urgentibus foras eliminatur. Illa vero pars intestinorum quæ stagnationem hanc sanguinis diutius tolerat, progressa inflammatione exulceratur, & ruptis postmodum illis ulcusculis materia purulenta excernitur.

§. XIII. Ex modò dictis uni vel alteri fortassis poteram videri, ac si sanguinem in excretis Dysentericorum conspicuum, ex arteriis corrosis atque apertis tantum prodire, venas verò immunes planè credrem; ast nullò modò, siquidem hæ tunica multò subtiliori sunt prædictæ, adeoque facilius corroduntur & sanguinem suum fundunt.

§. XIV. Admiratio verò quem subit, quā ratione fieri queat, ut ex vasis ejusmodi exiliissimis tanta, quæ excerni solet sanguinis copia, prodire possit, is sciat illorum exilitatem compensari numerò. Si etenim intestini portionem eō, quem dexteritas hujus seculi invenit modum, præparatam intueri licet, ex meris vasis sanguiferis constare videtur.

§. XV. Ulcera semper adsunt in Dysenteriâ, factâ puta, quamvis minus præsumantur adesse in fiente. Ab initio equidem non adeo sunt profunda, sed superficialia saltem; ubi verò incrementum magis magisque sumit malum & acrimonia humorum indies in corpore augeatur, ulcera, præterea quod latius serpent, evadunt quoque profundiora & nisi medicamentis appropriatis in tempore succurratur, intestina penitus eroduntur unde fibrosa atque carnea solent excerni ramenta & sphacelò tandem illa coripi, prout inspectio cadaverum docet.

§. XVI. *Causas Mediatas* inque iūs primū proximiorem, quod attinet, non eadem omnibus de hac est opinio. Veteres præ cæteris accusabant bilem tam quantitate, quam qualitate peccantem. Hanc verò minus sufficere, quippe quam non aptam judicat ut intestina exedere ulcisque excitare queat, sed necessariò ipsi adjungendum esse succum parcreaticum acidorem, adstruere conatur *Sylvius in Prax. Medicie. Append. Willisius* accusat sanguinis dyscrasiam atque effervescentiam seu fermentationem, ubi *Pharmaceut. Ration. part. 1. Sect. 3. cap. 3. de Dysenteriam Londinensi* cruenta agit. *Helmont* habet Archeum irritatum & suribundum, sicut videri potest in ejus *Tract. de Poict. Medicament. no. 29.* Et sic plura possent adduci, dum unusquisque serè sibi peculiare quid singit, & aliis ut idem persuadeat multis rationibus

## 8 DISPUTATIO MEDICA

nibus probare hoc ipsum satagit. Sed dicendum nunc erit quamnam opinionem hac de re ipse amplectar.

§. XVII. Meam itaque facio sententiam Ettmulleri qui *Prax. part. I. c. 8. p. 106.* *Acre quocunque pro causa agnolcit.* Nimirum omnes humores in corpore humano, quoconque veniant nomine, si modò acrimoniam præternaturalem eamque notabilem adjunctam habeant, valent producere erosionem atque exulcerationem intestinorum. Nec mihi persuadere possum, quâ ratione fieri possit, ut bile alcali abundante succus pancreaticus nihilominus acidò notabili imprægnatus sit: siquidem acidum & alcali sunt planè contraria, cum tamen hi duo humores ex eadem separentur Massâ sanguineâ. Credere ergò potius jubeor quemlibet humorem de salibus illis quibus M. S. scatet, sive sint alcalicæ, sive acidæ, sive salsæ naturæ, participare. Cur autem intestina præprimis infestentur facile patet, si attendatur non solùm bilis & succi pancreatici, verùm etiam aliorum humorum eademp acrimoniâ peccantium, in illis fieri concursum. Neque illi humores tantum qui per cavitatem intestinorum moventur, horum substantiam adoriuntur, sed symbolum quoque addit suum sanguis intra vasa contentus, quippe quorum citiorem erosionem acrimoniâ suâ promovet.

§. XVIII. Nolo equidem iis quæ §. anteced. dicta sunt negare, ut plurimum acciditatem peccare humores, sicut etiam Ettmullerus l. a. statuit; verùm non video cur ex opinione nonnullorum, semper accusandum sit acidum, in modò credendum ab humoribus aliter constitutis Dysenteriam nullò modò fieri posse, dum nil nisi acidum aptum judicant ad producendam exulcerationem, si modo ea ritè, perpendantur quæ §. 12. dicta sunt, quâ ratione quivis humor acris cuiuscunque demum sit naturæ erosionem vasorum sanguiferorum tandemque exulcerationem intestinorum posset causare, accidente imprimis hòc, quod circulatio sanguinis tunc magis soleat effet aucta & proinde majori in copiâ humores pravi ad intestina feruntur.

§. XIX. Humores autem qualitate peccantes, hòc locô magis accusandos censeo propterea, quia Dysenteriæ differentia specifica in eò posita est, quod sanguinolenta & purulenta excernantur, quæ causæ nullius, nisi acrimoniæ præternaturalis, productum esse possunt. Quantitas enim humorum ubi peccat sine notabili acrimoniâ fluxus quidem alvi producuntur, sed absque exulceratione intestinorum, uti

uti luculenter patet ex Diarrhœâ, in quâ serum aut bilis in magnâ rejicitur quantitate; acrimonia verò in corpore ubi augetur, certò certius sequetur dysenteria; nec ignotum est illam in hanc degenerare sœpissime.

§. XX. *Cause Mediate Remotiores* nunc veniunt examinandæ, ubi in classe *Rerum Naturalium* solent Autores recensere primô locô *Temperamentum*, nunc calidum & siccum; nunc v. calidum & humidum accusantes. Negari equidem haud potest unum præ alterô subiectâ facilius corripi hòc morbò, prout major jam acrimonia in hujus vel illius corpore latet. Interim tamen certissimè credo, quemlibet cujuscunque demum dicendus fuerit temperamenti, prægressa prava victùs ratione aut positâ aliâ quâcunque causâ producendi hunc morbum sufficiens, dysenteriâ affici posse. Idem quoque judico de *Ætate*, nimirum puerilem & juvenilem non magis huic morbo obnoxiam fieri posse, quam virilem aut senilem. Practicorum enim si evolvimus libros, nunc puerum, aliò tempore juvenem; hòc virum consistens *ætatis*, alibi seniò jam confectum, Dysenteriâ laborasse deprehendimus. Nihilominus inficias haud ibo in pueros juvenesque hunc sœpius sœvire Tyrannum, minimè tamen ideo, quasi major in his (ut vulgo creditur) detur abundantia bilis, sed quia ab esu fructuum horæorum aut alio quoconque errore in diæta temperare sibi nesciunt. E contrà qui jam provectionis sunt *ætatis*, longò rerum usu edocti, quænam nocere, quæve prodesse queant optimè norunt. Neque alia ratio est *Sexus*, siquidem Experienciâ teste uterque suos quoque patitur manes.

§. XXI. *Dispositionem hereditariam* huc quoque solent afferre, neque negandum est parentum morbos sœpius transferri in liberos, & his cum iis morbis continuò ferè esse conflictandum, qui illos maximè infestarunt. Unde non mirum, si quis jam ab ortu e.g. scorbuticus, accidente levissimâ causâ occasionali, Dysenteriâ corripitur.

§. XXII. Inter causas non *Naturales* primum occupat locum *Aëris*, qui sanè multum conferre potest ad morbum hunc producendum, idque duplice præsertim ratione, ubi nimirum justo vel calidior vel frigidior observatur. Calidior si est, homines ad extinguendam sitim, quam præ nimio æstu patiuntur ferè inextinguibilem, ingerunt quæcunque ipsis obvia fiunt, & cerevisiam tunc temporis plerumque aci-

## 10 DISPUTATIO MEDICA

dam, & fructus horæos, melones ejusdemque generis plura alia quæ ad cacoehymiam corpus disponere solent. Imò quibus res parva domi est, aut etiam pueri, non dubitant fructus immatuos assumere: inde pravorum humorum in corpore fit collectio, tandemque sequitur Dysenteria. Si verò nunc, subitè imprimis, mutatur Aër in frigidorem, catenus multum facit ad hunc morbum, quatenus tunc ab Aëris injuriis pori in ambitu corporis constringuntur, & hac ratione insensibilis transpiratio impeditur, indeque major fit humorum ad intestina determinatio, ubi postmodum talem excitare solent tragediam. Et hæc videtur quoque ratio, cur plerumque sub finem æstatis & ingruente autumnô grassari soleat hic morbus; Interim tamen impossibile haud est, aliis quoque anni temporibus contingere posse Dysenteriam.

§. XXIII. Non inferioris conditionis sunt Assumpta, quæ etsi, in se satis sint laudabilia, quantitate verò eorum si peccatur & in tantâ assumentur copiâ, ut chylificatio ritè peragi nequaquam possit, variî in corpore oriuntur cruditates. Ed verò magis pravi humores solent generari, ubi simul assumentur qualitatis nullus habeatur respectus, & talia avidè ingeruntur, quæ fermentationem aut quamcumque corruptionem facilimè suscipere possunt. Utendi quoque tempus hic quodammodo respiciendum est, e. g. si quis cerasa, ribes & similes fructus, qui pro mensis secundis admitti omnino possunt summò manè vacuō assumat stomacho, facile sibi, imprimis prædispositus aliqui ratione si fuerit, Dysenteriam comparare potest.

§. XXIV. A Medicamentis præcipue purgantibus in majori dosi assumptis; aut ritè quidem adhibitis, sed malo accidente regimine, ita ut diutius in corpore detineantur, & cum humoribus circulentur oriri etiam potest Dysenteria. Multò magis, atque citius fieri solet à venenis e. g. Mercur. sublimat. & similibus intrò sumptis, quippe quæ longe majori acrimonij & vi planè causticâ sunt prædicta, adeoque brevi temporis spatiô intestinorum exulcerationem, imò erosionem causantur.

§. XXV. Motus & quies; somnus atque vigilia; Animi pathemata; item Excreta & Retenta, tanquam è numero Rerum non-Naturalium multum quoque valent, nisi horum exacta habeatur ratio.

§. XXVI. Præterea ab aliis causis tam internis quam exteris magis tamen specialioribus oriri posse Dysenteriam observationes testantur, sic à vermibus Dysenteriam productam fuisse Paulus Brandius Medic. ca-  
strenſ.

I N A U G U R A L I S. II

*strenf. in Act. Haffn. Volum. 5. observ. 31.* item, alii à casu, percussione, Dysenteriam narrant.

§. XXVII. Tandem satis notum est à causa præternaturali etiam oriri quoque Dysenteriam, nimis quando alii morbi in hanc degenerant, uti sunt Passio cœliaca, Lienteria, Diarrhæa &c. Ab ulcere in pede consolidatō lethalem Dysenteriam legere licet in *Misc. curios. am. 2. Dec. 1. obs. 213.*

§. XXVIII. De Differentiis Dysenteriæ nunc quædam erunt dicenda, quarum duo constitui possunt genera, quatenus scilicet Dysenteria consideratur vel ad se ipsam relata, vel ad alias morbos consimiles.

§. XXIX. Ad se ipsum igitur relata differt ratione Causæ, Symptomatum, Partis affectæ, Excretorum, Modi, Temporis; (1) Ratione Causæ, alia est Endemia, quæ particularem agnoscit causam, & hujus vel illius loci incolis tantum familiaris est, qualis esse solet Londonensibus; alia Epidemia, quando ab universali procedit causa (hic Aër accusatur) & in totâ quâdam, aut pluribus Regionibus grassatur. (2) Ratione Symptomatum est vel Maligna, in quâ ingens anxietas precordiorum & summa virium prostratio illam concomitantur, exanthemata quoque aut maculae nonnunquam in corpore solent apparere, quale exemplum videri potest apud River. Cent. I. observ. 36. vel Benigna, ubi symptomata adesse solent mitiora. (3) Ratione partis affectæ est vel Intestinorum tenuium, vel crassorum, vel utrorumque simul. (4) Ratione Excretorum alia dicitur serosa, alia biliosa &c. prout hujus vel illius humoris præ cæteris major observatur quantitas. (5) Ratione Modi est vel Critica quæ cum euphoriam ægri contingere solet, & de hac loquitur Hippocrates in Seſt. 6. Aphorism. 48. quando dicit: Lienosis difficultas intestinorum superveniens bonum; hæc verò non adeo frequens est. Vel Symptomatica, quæ cum prostratione virium contingit. (6) Ratione temporis, alia est in fieri; alia facta; alia longa; alia brevis.

§. XXX. Respectu ad alias consimiles morbos habitō, differt à cæteris Dysenteria in genere, quod in hac sanguinolenta atque purulenta, cum aliis humoribus mixta, solent excerni. In specie differt à Diarrhoea, quatenus in hac tantum sorosa atque mucosa prodeunt; à Passione cœliaca, quod in hâc chylus simul cum fæcibus alvinis excludatur; à Lienteriâ quatenus in hac cibis potusque, prout assumpti fuere, plene immutati, vel crudè saltim digesti, per anum redduntur; à Cholerâ,

quatenus hæc est enormous atque continua humorum acrīum, unā cum assumptis per superiora & inferiora rejecto; à Fluxu hepatico, quod in hoc sanguis loturæ carnium instar excernatur; à Fluxu hemorrhoidalī, quatenus in hōc sanguis absque aliorum humorum admixtione prodit.

§. XXXI. *Diagnosis* nunc sequitur quæ multum facit ad Therapiam, siquidem cognitō morbo & locō affectō facilior erit cura. (1.) *Ratione temporis*, imminentis Dysenteriæ signa sunt ubi alvi fluxus, qui præcedere plerumque solent, supernit levis horror, appetitus depravatio, & imprimis tormenta ventris. *Præsentis*, sunt perse manifesta; ex dejectionibus sanguinolentis, purulentis, imò tandem ramentis fibrosis & carneis admixtis, ut & tormentis quæ nunc atrocissima obseruantur, & maximam partem à spasmodicis intestinorum convulsionibus oriuntur, sunt enim hæc plurimis dotata nervis adeoque maximè sensata, hinc facillimè percipiunt humorum acrimoniam & variò modō intorquentur. Nec desunt plura alia signa e. g. pulsus frequens atque celer ab aucta sanguinis circulatione; Vigilæ, à tormentis ægrum miserè excruciantibus; virium imbecilitas; ab appetitu prostrato & continuis vigiliis &c. (2.) *Ratione Subjecti* an *Tenuia* intestina, an *Crassa*, an verd utraque simul patientur signa desumuntur partim, à doloris loco, partim, à doloris gradu, partim, ab excretionum modō. *Doloris locum* quod attinet vulgo dicunt, si supra umbilicum observetur dolor, tenuia, si verd infra umbilicum sentiatur, crassa esse affecta. Verū hoc repugnat Anatomia, ex hac enim constat tenuia totam regionem umbilicalem occupare, & tam supra, quam infra umbilicum obrinere situm, crassæ verd in ambitu magis locari. Unde potius attendendum erit num in medio abdominis, & quidem versus anterius observantur tormenta, certo indicio tenuia pati; aut num potius in ambitu & versus posteriora sentiatur dolor, & tunc judicare licebit crassa affici. *Quoad doloris gradum atque Excretionum modum* hæc observanda: Si dolor adest acutissimus neque hunc statim sequitur dejectione alvi, & sanguis insuper exactè mistus est cum reliquis humoribus, tutò judicare licet mali sedem esse in intestinis tenuibus; in crassis contrà; ubi adest dolor magis obtusus, tormenta statim excipit alvi depositio, & crux cum reliquis fæcibus perfectè mixtus haud observatur. Utraque si afficiuntur simul dolor aderit longè atrocissimus & ferè continuus, frequentiores quoque fiunt alvi dejectiones. (3.) *Ratione Sympto-*

*Symptomatum Dysenteria* judicatur vel *maligna*, ex gravioribus & pejoribus symptomatis, imprimis summâ & subitaneâ virium prostratione, vomitu &c. Vel *Benigna*, in quâ mitiora observantur symptomata, & præ cæteris non adeò ingens virium imbecillitas.

§. XXXII. *Prognosis* nunc restat, quam paucissimis ut absolvam dico, in genere eam optimè peragi, si virium semper habeatur ratio, harum enim si non modò facta ingens prostratio, verùm etiam quotidie decrescent, difficilis certè erit cura & bonus vix sperari potest evenus. Sed vires ubi adhuc præsentes, nec adeò notabilis earum sit immunitio, meliora promittere potest Medicus. Qui magis specialem desiderat prognosis, hanc variare sciat pro ratione causa, *Symptomatum*, partis affectæ Durationis & aliarum circumstantiarum. Nam quo major adeò humorum acrimonia, eò curatu difficultor est *Dysenteria Hippocrates Sect. 6. Aphorism 3.* *Dysenteriam* cum cibi fastidio & febre judicat malam. *Malignam* periculosiorem longè esse benignâ satis notum. Intestina crassa si tantum sunt exulcerata, facilè curabitur *Dysenteria*; difficultius si tenuia; difficillimè si utraque simul laborant.

§. XXXIII. Ad *Curam* igitur dum me accingo, juxta triplicem fontem, è quô materia prædiorum desumitur, erit progrediendum. Primô itaque locô se sistit *Fons Chirurgicus*, & ex hoc *Vena Sectio*, quam nonnulli summis extollunt laudibus, imò repetitis vicibus celebrare jubent in *Dysenteriâ*, ad revellendum sanguinem inflammationemque præcavendam. Præ cæteris *Jul. Cœf. Claudi. Respons. Medicin. 6.* his commendat verbis: Mihi credas experto, hisce annis, quibus similis morbus ferè per totum mundum vagatus est, possum jurare, me plures hoc remedii genere servasse, atque citius sanitati reddidisse. Alii contrà eandem prorsus rejiciunt, tanquam magis noxiā, sic *Galen. lib. 1. ad Glauc. cap. 14. & lib. 1. derat. Vict. in acut. text. 16.* alvō fluente sanguinem detrahere vetat. Verùm in omni *Dysenteriâ* sicuti absolutè non prohiberi, ita nec admitti potest. Nam hic æquè, ac in omnibus morbis aliis, virium imprimis habenda ratio, & aliæ præterea considerandæ sunt circumstantiæ. Quando scilicet, prout sæpiissimè fieri solet, tunc demum Medicus accersitur, ubi per plures jam dies fluxu durante ægri vires penitus sunt exhaustæ, aut si malignitas adsit, nullò modò suadere V. S. onem auderem. Sed in morbi initiō & plororâ præsente, vel morbo, à consuetis aliis, nunc verò suppressis evacuationibus e.g. hæmorrhoidibus vel fluxu mensium, ortum trahente, consentientibus præsertim viribus, V. S. onem haud reformidarem.

§. XXXIV.

§. XXXIV. Progredior nunc ad *Fontem Pharmaceuticum* ubi latissimus sese aperit campus, ita ut minimè de enumerandis, sed feliciter saltem, cogitandum sit Medicamentis, è quibus generaliora tantum attingam. *Vomitoria* h̄c vix videntur habere locum, nisi fortè orta sit Dysenteriā ab assumptō aliquō venenō, aut aliō quodam pharmacō ineptō, quod adhuc in ventriculō ex parte hærere p̄sumatur, alias verò omnino omittenda judico. Non desunt equidem exempla Dysentericorum, qui Vomitoris sunt restituti, cujusmodi legitur observatio in *Miscell. Curios. Med. ann. 2. Decur. 2. p. 380.* ubi D. Valentini virum memorat Dysenteriā laborantem, omnibus remediis ordinariis frustrā adhibitis, assumptō vomitoriō ingentem bilis æruginosę copiam rejisse, cum præsentanē symptomatum remissione, sed ejusmodi mendendi methodum minimè imitandam censeo; & facere huc videntur verba *Francisc. Valeriol.* quæ habet lib. 3. obs. 4. *Id fieri sepe, inquiens, viderimus, ut in quibusdam corporibus accurata Medicina ratiō nil valeat, cum sint quedam corpora qua medendo quasi agrescant; è contra evenire sollet, ut, quos ratiō non restituat, temeritas adjuvet.* Et refert simul exemplum viri cuiusdam, qui, cum per tres integros menses gravi corruptus fuisset Dysenteriā, omnibus medicamentis pertæsus, tandem depravata victus ratione restitutus est. Sed sicuti neminem tantā teneritate credo ut, quia inordinatā Diætā hunc scit restitutum Dysentericum, & aliis hōc morbo laborantibus eandem suadere velit: ita Vomitoria, unius alteriusve exemplo quem his restitutum legimus, minimè motus, in curā Dysenteriæ rejicio, quandoquidem inter vomendum corpus nimis concutitur & vires magis dissipantur.

§. XXXV. Meliori modo se hic commendant *Purgantia*, imprimis ubi corpus pravishumoribus maximè est refertum; facilis enim, horum quantitate priùs imminutā, eorum, qui residui manent in corpore, qualitas per medicamenta convenientia alterabitur, illorumque acrimoniam corrigetur. Ex Purgantibus verò fortiora omnino vitanda sunt, præcipue quæ resinosis constant particulis; metuendum scilicet est, ne, dum resinosa ejusmodi tenacius adhærere solent intestinis, hæc magis irritentur & malum augeatur. Ast mitiora suam certè merentur laudem, inque iis Myrobalani principatum tenere à nonnullis creduntur, quippe quas humores acres non modo evacuare, sed & ventriculum atque intestina roborare dicunt. Nec alia hujus generis evacuantia blandiora desunt: Instar omnium tamen esse potest Rhabarbarum quodammodo tostum,

tostum, id quod non minus à *Sylvio Prax. lib. I. c. 13.* quam aliis egregiis Practicis magnopere commodari, & nunquam non laudabili cum effectu adhiberi solet, hanc ob rationem quod non tantum uni, sed duabus satisfaciat indicationibus, quia vi purgante absolutâ levem quandam virtutem adstritoriam exerit. Mercurio dulci *Nobilissimus Boyle Dissitat. de Medicam. simplic. §. 6.* singularem virtutem in Dysenteriâ adscribit, dum huic Medicamento virtutem acres humores mitigandi, & putrefactionibus resistendi inesse judicat. Præterea addit experientiam, quam accepit à summi exercitus Præfecti Chirurgò quôdam, qui dixit Mercuriò dulci, tanquam summô arcanô centenos se aliquot militum in exercitu curasse, exhibendò ad scrupulum unum, imò median drachmam.

§ XXXVI. Neque minoris usus sunt *Clysteres*, non tam evacuationi, quam aliis intentionibus hîc inservientes, præcipue ubi intestina crassa sunt exulcerata: Nam ad tenuia vix pertingere possunt. Horum autem varius est scopus & secundum *Riverium in Prax. lib. 5. cap. 6.* primum *lenientes & detergentes*, postea verò *glutinantes & adstringentes* injiciendi veniunt. Horum exempla qui deliderat videre eadem potest l.a. imò apud *Sennert.* & alios ad nauseam usque inveniet. *Sylvius locô modo alleg.* laudat Ennema ex lacte bubulô recenti, & si lubet, prius chalibeato, cum Terebinthina venetâ ovi vitellô dissolutâ, & melle rosato, quô unicò se non semel Dysenteriam curasse affirmat.

§. XXXVII. *Diaphoretica* hîc in morbô multum valent, dum transpirationem promovendo serum divertunt & ad peripheriam corporis magis ducunt, imprimis si talia adhibeantur quæ acrimoniam humorum simul infringere atque absorbere valent; ut sunt Terra sigill. lemn. Unicorn. fossil C. C. Ebur. f. igne lap. cancer. Antimon. diaph. limpl. & Martial. bezoard. mineral. &c. Metus malignitatis si adeat, talia possunt feligi, quæ virtute alexipharmacâ simul gaudere dicuntur; vel insuper addi, de lapid. bez. sive orientali, sive occidentali, aut de pulv. bezoard. quorum variæ compositiones prostant in officinis. Qui potionibus delectatur facile sciet aquas destillatas, eidem scopo inservientes, assumere e. g. Aquam theriacal. florum Sambuc. card. bened. &c. cum tantill. spirit. theriacal. & de paulò ante enarratis addere, quæ velit. Bezoardica verò Volatilia, ut & Spirituosa non, nisi in maximè refracta dosi, propinanda, imò, quantum fieri potest, prorsùs omittonda suadeo; nam his qui largiter utuntur, & malignitati succurrere student, æstum, ægris jam satis molestum, hîc ipso augent. Annexendus hîc mihi videtur modus

## 16 DISPUTATIO MEDICA

modus Indorum, quem habere dicuntur in Dysenteriâ curanda, dum in *Prax. Mayernian. lib. 3. cap. 3. p. 220.* de iis dicitur, quod sumum zingiberis, carbonibus vivis injecti, recipient per sellam perforatam donec sudore perfundantur, & animo liquefcere inciant, deinde lecto calido committantur, ut sudores promoveantur, exhibitô brodiô calidô ad vires refocillandas.

§. XXXVIII. *Adstringentia proprie sic dicta locum quoque inventiunt, Alumen. Sacchar. Saturn. Vitriol. Martis, Terra Vitriol. Balsam. Terra catech. lap. hæmatit. fl. balaust. rad. tormentill. bistort. & sic plurima alia, tam sicca, quam liquida in Practicorum libris videnta.* Circa horum tamen usum notatum velim (1) ne statim in morbi principiô, ubi ægri corpus nimiâ ad huc pravorum humorum quantitate scatet, præscribantur, aliâs fluxus quidem sistetur, sed longè pejora inde subsecutura sunt mala; (2) ne in dosi peccetur, metuendum enim, ne nimiâ adstrictione efficiatur, ut orificia vasorum lacteorum claudantur penitus atque oblitterentur, & lethalis inde sequatur Lienteria vel Fluxus Cæliacus.

§. XXXIX. *Riverius pimpinellæ singularem usum tribuit in Dysenteriâ, cui non solum vim adstringentem, verùm etiam sanguinem depurantem inesse dicit; & eodem loco nim. Centur. 3. observ. 84. exemplum habet Dysenterici cujusdam, qui omnia respuens remedia solô pimpinellæ usu restitutus est.*

§. XL. Addenda tandem sunt illa Medicamenta quæ mucaginositate suâ partim, acrimoniam humorum adhuc residuam, obtundunt; partim, consolidationem promovent, ut sunt: radic. alth. lili. alb. Symphit. Gumm. arab. mastich. &c. item animalium partes gelatinâ abundantes, è quibus parari possunt Decocta pro potu ordinariò, nisi æger avertertur, assumenda.

§. XLI. Hæc Medicamenta, de quibus hactenus dictum, causam morbificam & morbum ipsum respiciunt. Sed inter Symptomata quæ adesse solent, cum urgens maximè sit enormis & intolerabilis cruciatus ille, de quô ægri conqueruntur ob atrocissima, quæ patiuntur tormenta; huic obviam eundum *Opiatis*, de quibus magnalis est inter Autores, an convenient, nec ne.

§. XLII. *Augustin. Thonnerus observat. Medicinal. lib. 3. p. 167.* in hujus morbi curatione illorum usum ex totô prohibere conatur, dum Narcotica in Dysenteriâ pronunciat Necrotica, & illustris Comitis

mitis exemplo probat qui Dysenteria laborans, assumptō, ex medicastri, cuiusdam consiliō, opio, in lethalia incidit Symptomata, ita ut tandem Comes ille morti avocanti (sicuti loqui amat Thonnerus) comitem se adjungere & in Cymbam Charontis descendere, coactus fuerit. *Sylvius* & *Willisius* contrā, non dubitarunt ab initio morbi statim opium in auxilium vocare; & ex his Posterior, sicut ipse fatetur & videri potest in *Pharmacen. Rational. part. 1. Sect. 3. cap. 3.* in dosi satis magnā exhibuit, neque unquam cuiquam Dysenterico hoc Medicamentum obfuisse scribit. Ast tutissimē mediā licebit incedere viā, si in exhibendo opio temporis & modi habeatur ratio. Ne igitur *vel* in principio statim morbi, & præprimis solitariè, exhibeatur: Cum purgantibus enim, ad mentem Sylvii, tolerari quodammodo potest ejus exhibitio; *vel* in dosi peccetur. His observatis Medicus in Dysenteria æquè, ac aliis morbis quāplurimis, optatum sibi ab opio promittere potest effetum.

§. XLIII. *Externa* quoque suum merentur laudem, dum abdomen solent inungere oleis ex adstringentibus, stomachicis, carminativis &c. paratis, e. g. oleo Menth. Nucif. Anis. Aneth. Chamomill. & similibus, aut fæcculos applicare ex ejusmodi herbis paratos. Nonnulli partes animalium calidas admovere jubent, unde taleolæ carnis bubulæ pulvere Cumin. Cinamon. & similiū, conspersæ, atque intensè calefactæ, applicatæ commendantur.

§. XLIV. Ad Tenesmum & Procidentiam ani, quibus ægri vexantur varia laudantur ab Autoribus, & nunc, suffitū adhibere ex Mastichi. Thur. fl. Rosar. Rubr. &c. & fumum per sellam perforatam ano expipere; nunc, clysteres ex mucag. semin. Psyll. Cydon. &c. injicere; nunc, fatus ex modicè adstringentibus & nervinis instituere suadent.

§. XLV. Fusiū quidem tractari potuisset Cura Dysenteriz; sed ne in majorem molem excreseat hæc Disputatio, præterea omnes, quæ se sistere solent ubi ad ægri lectum accedit Medicus, circumstantiæ, vix prævideri possunt, & juxta Deckerum in *Not. ad Prae. Barbett. p. 177.* Dysenteriz curatio secundum Symptomata sua atque Differentias, gradusque mutari debet, magis specialia judicio uniuscujusque relinquo, variante nim: morbō, varia appropriata feligere atque combinare.

§. XLVI. Restat nunc paucis attingere *Fontem Diæticum*, de quo

recte monet *Thonnerus loco ante allegato p. 169.* Omnia maximè necessarium esse in Dysenteriā, ut conveniens in cibo potuque obseretur Diæta; medicamenta haud esse æstimanda sufficientia nisi accedat justa victus ratio; plus enim spes locandum esse in laudabili Diætā, quām operosa pharmacorum farragine.

**XLVII.** *Aer* sit neque calidus nimis, neque frigidus, sed temperatus, ita ut æger in æquabili semper servetur calore, & ab omnibus aëris injuris totum defendatur corpus; omnis quoque foetoris sit expers, unde excrements ægrorum è conciali sèpiùs sunt removenda in loca dissipata, & aer sufficiens corrigendum.

§. **XLVIII.** *Cibus* sit facilis digestionis & laudabilis succi, ut sunt juscule avenacea, pultes ex oryza cum lacte paratae, caro agnina; vitulina &c. Leporinā carne Helmont Archeum furibundum placare iterum jubet. Possunt quoque assumi cydonia mala, item mespila vi- no incocta (nisi febris prohibeat) additò cinamomō. Contrà vitan- da quæ difficilis sunt digestionis, aut pravi succi, ut carnes salitæ vel sumō induratae; olera quæcunque, & imprimis fructus horæi, raphanus, allium, &c. Paucis ut complectar: omnia quæ acrida sunt aut facile fermentescibilia, aut flatulenta. *Potus* sit cerevisia limpida & benè digesta, addito pane tosto cum nuce moschatæ; vel decoctum hordei aut Eboris cum radice pimpinellæ.

§. **XLIX.** Omnis corporis motus, ut & *Vigilia* vitentur, animique pathemata, vehementiora præcipue, omni studio vitentur. *Quies* com- mendetur ægro, somnusque promoveatur & *animus* sit tranquillus.

**F I N I S.**